Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1655
Quelle:
Copyright:

de Niem L. II. c. 21 — 23. Librum vero *de Varietate Fortunae* versibus ab Eo scriptum memorant *Aug. Oldoinus* in addit. ad *Alph. Ciaconii Vitas Papar.* *et Cardd.* T. II. *col.* 797. et *Lud. Jacobus Biblioth. Pontif.* p. 140. Atque hic *Liber* fortasse ad Δωδεκαστιχον nostrum redit, quod adscribo:

Qui modo summus eram, gaudens de nomine Presul,
Tristis et abiectus nunc mea fata gemo.
Excelsus solio nuper versabar in alto,
Cunctaque gens pedibus oscula prona dabat.
Nunc ego penarum fundo deuoluor in ymo,
Et uultum tristem quemque videre piget.
Omnibus e terris aurum mihi sponte ferebant,
Sed nec gaza iuuat, nec quis amicus adest.
Sic varians fortuna vices versata secundis
Subdit, et ambiguo munere ludit atrox.
Cedat in exemplum cunctis, quos gloria tollit.
Vertice de summo mox ego papa cado.

Quodsi Versiculi hi non sint subditicii, tolerabiliorem se Poetam praestiterit *Balt. Cossa*, quam Pontificem. Adi et *Cod.* CCCCXVIII.

XXII. *fol.* 111. *Stephani de Palecz* Tractatus contra IV. Articulos *Pragenses* videlicet de Communione sub utraque, de libera Praedicatione, de Dominio Cleri et Punitione Peccatorum publicorum, qui extant apud *Cochlaeum* L. V. p. 199. et deinceps in Synodo *Basil.* late discussi sunt. Tractatui primo haec praemittuntur: *Ab anno domini M° CCCCXV. incepit communio sacramenti sub utraque specie Prage in Ecclesia sancti Michaelis in Antiqua Ciuitate Pragensi per Jacobellum de Myza professorem sacre pagine Magistro Cristanno de Prachaticz tunc ipsam ecclesiam regente. Ad quam quidem communionem omnes Wiklefiste et Hussite firmiter accesserunt, et eam pertinacissime eciam armata manu defendere promiserunt. Et quicunque Prelatus siue Rex siue communis populus ipsis non adhereret ipsum pro inimico validissimo habere decreuerunt. Vnde contra Ecclesiam vniuersalem et Romanam que mater est Ecclesiarum ymo contra Serenissimum Regem dominum Sigismundum Regem Vngarie et Boemie naturalem et coronatum ac electum legitime et admissum, ymo specialiter contra totum Regnum Boem. ipsi Wiklefiste et Hussite defendere volentes suas opiniones ac eorum errores palliare volentes quatuor conclusiones euangelicas exceperunt quas tenere et defendere sub iuramento vnanimiter promiserunt in communi Concilio Pragen.* Dein sequuntur dictae IV. Conclusiones seu *Articuli*,